



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

9. An pueri habentes vsum rationis teneatur statim præcepto audiendi
Missam? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 77. p. 226.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

verf. causa verò: quatenus docet absolute, quod ab audienda Missa excusentur matres, & ancillæ, quæ infantibus assistere debent. Et Llamas 3.3. *part. Me- tho. cap. 5. §. 11. pag. 493.* per hæc clariora verba: Excusantur, & omnes nutrices infantes teneros, à quorum cura discedere non licet, quia inquieti sunt, & nimis plorant, & tales in Ecclesia deferre potius vitio ascribendum est, cum perturbent diuina officia vagitibus. Fauet Nauarrus, *cap. 21. num. 3.* Vbi absolute ait, excusari nutrices, quæ sine periculo non possunt relinquere eos quos lactant. Sic ille. Nunc ego; sed sic est, quod non possunt nutrices relinquere absque periculo quos lactant; nisi habeant aliquem, cui talem curam committant: ergo si hanc non habet, verè excusatur ab audienda Missa. Hætenus Leandrus. Sed communiter DD. asserunt, quòd ab audienda Missa excusatur nutrix, aut illa cui credita est cura paruulorum, quæ non potest ferre secum puerum adhuc lactantem, & quem non potest domi relinquere absque probabili alicuius damni periculo; vel non potest ferre ad Ecclesiam absque graui celebrantis, vel adstantium perturbatione, & molestia. Ita Trullench. in *Decal. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 9. n. 5.* & alij. Et sententiam Leandri ego admitterem quando mulier sciret infantem, vel ex infirmitate, vel ex natura esse nimis prouum ad plorandum, & vociferandum. At, vt verum fatear Coninch. de *Sacram. quest. 83. art. 6. dub. unico. num. 286.* Palans. *tom. 4. tract. 22. disp. unica. par. 2. n. 6.* obseruant, quòd satius est infantes domi retinere, quam secum ad Ecclesiam deferre ob eorum iniquitatem, quæ adstantes molestatur, & celebrantem perturbat.

RESOL. IX.

An pueri habentes vsum rationis teneantur statim præcepto audiendi Missam in festo? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Res. 77.

§. 1. **P**veros teneri præcepto audiendi Missam dum perfectè incipiunt vt ratione sufficienter ad peccatum mortale, puto cum Coninck de *Sacram. quest. 83. art. 6. n. 286.* Suarez in 3. *part. tom. 3. disp. 88. sect. 4.* Præposito in 3. *part. quest. 83. art. 6. n. 197.* Fagundez *pract. 1. lib. 2. cap. 2. n. 7.* Mercero de *Sacram. quest. 83. art. 4. dub. 4.* & aliis. Imò Hurtadus de *sacrificio Missæ disp. 5. a. ff. 2.* credit, vt pueri hoc præcepto teneantur, sufficere vsum rationis imperfectum sufficientem ad peccatum veniale; sicut etiam sufficit vt teneantur præcepto non occidendi, & non mentiendi, etiam si nullius transgressione peccent mortaliter, quia à culpa mortali excusantur ob imperfectionem deliberationis. Filiiuc. verò *tom. 1. tract. 5. c. 7. n. 217.* & Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 2. quest. 1.* docent pueros communiter incipere habere vsum rationis, cum septennium attingunt, aut saltem explent, & in hac ætate hoc præcepto obligari. Ratio conclusionis est, quia vnusquisque fidelis cum ad annos discretionis peruenit, obligatur præceptis Ecclesiæ, tenetur enim eodem tempore confiteri, abstinere à carnibus, ergo, &c.

2. Non desinam tamen hic apponere opinionem Iacobi Marchantij in *Candel. sacram. 99. Pastoral. tract. 4. cap. 6. quest. 2.* vbi sic asserit. Quæro secundò, quæ ætate obliget præceptum Missæ? Respondent Doctores obligare post septennium, quia tunc incipit discretio. Sed licet verum sit, quod ex tunc ac etiam antea pueri assuefaciendi sint ad audiendam Missam, illos tamen statim ac vsum discretionis incipit dicere obligatos sub peccato mortali, videtur

mibi rigidum. Tum, quia Ecclesiastica mater non videtur velle obligare tam rigide statim ac potest, tum quòd practicè videamus maiorem partem paruulorum tempore Missæ, huc illac circumspiciendo sine attentione requisita, aut etiam sociis corripendo, colloqui; nugari, nec vim præcepti talis apprehendere. Qui verò eos statim peccati mortalis velle condemnare? Non quòd velim dicere eos non esse capaces peccati mortalis ob ætatem, nam si hoc sit verum, non est difficultas, sed quòd licet, in rigore loquendo, sufficientem requisita, & discretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videatur tamen Ecclesia tanta sub obligatione, seu vinculo tam arcto eos velle statim obligare, donec perfectiorem rationis vsum assequantur, quæ diuina mysteria plenius apprehendant, & obligationem ac attentionem, qua illis interesse oportet, plenius intelligant. Quòd ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere ad Eucharistiæ sacramentum, putatim contingere, quod ipsum Confessarij prudenti iudicio vtantur expendendum, aliàs antea solum venialiter existimant peccare ob apprehensionem imperfectam, cum appropinquatum, tum præcepti ex imperfecto adhuc rationis vsum prouenientem, per quam fit vt facile negligant attentionem requisitam, & magis præfentes ob suum corpore, quam mente? Huc vique Marchant.

RESOL. X.

An mutus, surdus, & cæcus teneatur Missam in diebus festis audire? Ex part. 5. tr. 6. Res. 8.

§. 1. **V**idetur prima facie respondendum negatiuè nam supradicti neque per sensum auditus, neque per sensum visus, possunt percipere mysteria sacrificij Missæ, ergo, &c.

2. Sed affirmatiuam sententiam docet Iohannes Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 3. quest. 4.* Antoninus *part. 1. tit. 9. cap. 10. §. 1.* Syluester *ver. Missæ 2. quest. 2.* Sotus in 4. *dist. 13. quest. 2. art. 1.* Nauarrus in *manuale 4. p. 1. n. 8.* Præpositus in 3. *part. quest. 83. art. 6. dub. 3. n. 211.* & Fagundez *pract. 1. lib. 2. cap. 7. n. 3.* vbi sic ait. Hæc patet euidenter teneri illum qui simul est mutus & surdus & cæcus, Missam audire, cum, mortaliter loquendo, sensu aliquo externo præsentialiter abesse, & ad id, quod fit, possit attendere, idque percipere. Ita Fagundez: & ratio est, quia audiendi verbum oppositum in *cap. Missæ, de consecrat. dist. 2.* non sumitur præse & strictè, sed late: audire enim hoc loco nihil aliud significat, quam voluntariam participationem alicuius in loco, vbi Sacram celebratur, præsentiam, ita vt is Missam audire iudicetur, qui ipse Missæ sacrificio interest: saepe enim contingit, vt Missa priuata ita submissa voce dicatur, vt nihil ab auditoribus audiatur, & tamen præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, qui presentes sunt; aliquando etiam audiuntur magna est populi frequentia, vt Missa non ab omnibus audiatur, & tamen qui presentes ad sunt, præceptum seruant. Vnde, vt diximus, surdi, qui nihil audiunt, & cæci, qui nihil vident, teneantur Missam audire, & à præcepto minimè excusantur.

RESOL. XI.

An Serenissimus Senatus Venetus, & omnes alij, qui audiunt Missam in Templo D. Marci dicitur scilicet à Primitiis illius Ecclesiæ ante medium noctis, satisfaciunt?